

Franckesche Stiftungen zu Halle

Disputatio Secvnda Eaue Periodica Sacra Scriptvra

Dieterich, Martin

Francofvrti Ad Viadrvm, [1745?]

VD18 13450646

Cap. V. De summa probabilitate argumentorum, quae docent, Sacram
Scripturam a Deo inspiratam esse.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201487

cunctos Platonis et Aristotelis evolvās libros, vel universam Graecorum sapientiam ad unguem calleas. Meretur hic legi doctissima dissertatio, quam de eloquentia Jeremiae Lipsiae quondam instituit Illustri*s* *Raemmerichius*, Antecessor juris in Academia Jenensi primarius. Prostant praeter canonem biblicum complures Christianorum libri, in quibus singularis dicendi vis et efficacia dominatur. Verum aequi rerum censes fatebuntur, ejusmodi esse scripta, quae tanquam rivuli ex limpidissimis Israël*s* fontibus profluant, atque in animos lectorum velut aridos campos influant. Proferatur liber ob majestatem et vim commovendi mentes pleno ore laudatus, cujus auctor scriptores sacros non inspexerit. Quid quod complures Theologi et Critici statuunt, Platoni aliisque Philosophis ethnicis doctrinas quasdam ecclesiae innotuisse, quas scriptis suis inseruissent: quod posteris temporibus, cum versio graeca V. T. Ptolemaei jussu adornata esset, eo facilius fieri potuit.

§. II. Nec est, quod nugatores ordinem et seriem in doctrina et historia desiderent. Annon ordo in libris historicis V. T., in Evangelistis, quorum harmoniam pridem egregie demonstrarunt eruditi, atque in actis apostolicis observatus est? Annon credenda et facienda in capite VII, VIII. IX. Matthaei, epistola ad Romanos, ad Galatas, ad Corinthios et sic porro nativo nexu proponuntur? Attende modo lectioni, et divinam sapientiam admiraberis.

CAP. V.

De summa probabilitate argumentorum, quae docent, Sacram Scripturam a Deo inspiratam esse.

§. I.

§. I.

Boni libri criteriis codicem sacrum non destitui, sed in excellentiori etiam gradu coruscare, ex iis, quae diximus, evidentissime patet. Jam plus ultra progrediendum est, et ostendendum, quibus rationibus ducti illum a divina inspiratione proficisci credamus. Atque hic sine longa meditatione cognoscimus, argumenta *θεοπνευσίας* cum iis fere convenire, quibus religionis Christianae, in verbo divino comprehensae, veritas stabilitur. Commodissime vero confirmationem ita instituere visum est, ut ab argumentis, quae *scripturae originem divinam humana fide agnoscendam*, seu credibilem declarant, initium faciamus, tum demum ad fidei divinae fundamentum progredientes. Neque tamen non de rationum pondere magis laborandum nobis erit, quam de numero, in quo cumulando nonnulli difficultatibus non necessariis irretiuntur. Sicuti autem S. S. volumina multis elapsis seculis in unum corpus coaluerunt, et generatim in V. et N. T. dispescuntur: ita evicta divina origine N. T. veteris quoque Testamenti libros omnes et singulos eadem auctoritate pollere, quod postea in apicem proferetur, arbitramur. Argumenta palmaria erunt duo, *miracula et vaticinia*. *Agmen ducent miracula*, quibus auctores verbi divini secundarii et missionem suam et doctrinae a se propositae originem divinam confirmarunt. Miraculi autem nomine ejusmodi effectum intelligimus, qui omnes naturae vires exsuperat, atque a singulari prorsus et extraordinaria Dei operatione dependet. Sic ortus et occasus siderum, hominum generatio, aliaque, in quibus Dei potentia et sapientia se exerit, stricto sensu ad miracula non referuntur, propterea quod secundum ordinarium naturae cursum fiunt. Eadem ratione in regno gratiae praesentia corporis et sanguinis Christi in
sacra

sacra coena, atque omnino hominis peccatoris conversio ad Deum, licet Spiritus sanctus supra naturam per verbum efficax sit, miracula non vocantur, nisi momenta quaedam extra ordinem divinitus praescriptum e. g. in conversione Pauli, hic accidunt. *Benedictus* quidem *Spinoza* in tractatu *Theologico-Politico* Cap. VI. p. 67. ff. et qui vestigia ejus hac in re premunt, omnes naturae operationes minus consuetas miraculorum nomine insigniunt, audacter asserentes, naturae limites nobis perspectos non esse, adeoque nihil certi hic statui posse. Sed est, quod respondeamus. In multis judicium suspendendum esse, libentissime fatemur: in compluribus vero luculentis rationibus et experientia, omnium rerum magistra, convincimur, illa ipsa per naturae leges fieri non posse, verbi gratia si quis nudis pedibus ambularet super aquam, aquam commutaret in vinum, caecis, qui a teneris tales fuerunt, oculorum usum restitueret, quod a mundi incunabulis auditum non est. Joh. IX - 32. imo vero etiam non unum, sed plures mortuos resuscitaret. Subsistamus paulisper circa ultimum miraculorum genus. Lazari anima revera a corpore separata erat, corporis organa et membra functionibus mentis non amplius respondebant, corpus sepulchro illatum per quatrimum putrescebat. Jam cogita, quibus naturae viribus anima cum corpore rursus uniri potuerit. Nihilo fecius ejusmodi resurrectionem mortuorum ad vitam praesentem a Christo et discipulis ejus factam esse, testes omni exceptione majores asseverant. *Guilielmus* quidem *Ader* in libro *de morbis biblicis* docte ostendit, morbos, quos Servator sanavit, ita comparatos fuisse, ut partim in se, partim in modo, quem Christus in tollendis iis adhibuit, secundum et medicinae regulas et naturae vires insanabiles essent.

§. II.

§. II. Objiciunt hostes veritatis, a spiritibus malis et falsis Prophetis prodigia facta esse, eamque ob causam miracula non pro indicio divinae inspirationis haberi posse. Jannes et Jambres, inquit, diabolicis suis artibus Mosi restiterunt II. Tim. III. 8. Exod. VII. 11. Simon universum populum Samaritanum fascinauit, ut uno ore exclamaret: hic est Dei virtus, quae magna Act. VIII. 9, 10. Paulo et Barnabae adversum tenuit Elymas, praestigiator Act. XIII. 6, 8. Et ipse Christus a falsis Prophetis miracula patraturum iri praedixit, quibus electi etiam, si fieri posset, deciperentur Matth. XXIV. v. 24. At non desunt signa certa et indubitata, quibus ejusmodi phaenomena a miraculis veri nominis discernantur. Sublestae fidei miraculum erit, si fiat de rebus vel rationi, vel patefactioni jam factae evidentissime contrariis. Deum enim immutabilem esse constat, qui veritatem nullo modo evertit. Sic Deus Prophetam, qui cultum idololatricum urgeat, etiamsi probationis loco mirabilia exhibeat, interfici jussit, ne sincera pars trahatur. Deut. XIII. 1. ff. Atque ordinavit, ut si quis novam doctrinam proferat, priori non contrariam, sed potius consentaneam, requiratur miraculum, quo ipso ea confirmetur. Deut. XVIII. 21, 22. Omnia Christi aliaque miracula divina destructionem peccati regnique Satani et studium verae pietatis respiciunt I. Joh. III. 8. Tit. II. v. 12, 13. quod multo aliter fit in praestigiis Satanae et perversorum hominum. Deus operatus est, inquit Marcus, in Apostolis, et verbum corroboravit signis sequentibus. Cap. XVI. v. 20. Miracula Christi et Apostolorum in conspectu multorum hominum facta, imo praedicta sunt. Acerbissimi adversarii rei veritatem in dubium vocare ausi non sunt, tribuentes tantum originem et vim Beelzebub, quo nomine per ludibrium Diabolorum principem designabant. Malae causae indicium est,

est, quod dicunt: *quid consilii capiendum est? hic homo multa prodigia edit, si dimittimus eum, omnes fidem illi habebunt. Job. XI-47.* E contrario mancipia Satanae post carecta latent, et in tenebris paucis praesentibus glaucoma faciunt. Quando Magi isti Aegyptii cum Mose in lucem prodeunt: occaecantur, labascunt, scientia magica, tantopere celebrata, in fumum abit, nec vola, nec vestigium miraculorum superest. Ipsi tandem fateri coguntur, hunc Dei digitum esse. *Exod. VIII-18, 19.* quo ex mente orientalium immediatus potentiae divinae actus indicatur. Et maxime probabile videtur, a magis singulari celeritate, quam diurna in his rebus exercitatione consecuti fuerant, serpentes in locum baculorum substitutos, atque hac ratione in reliquis etiam Pharaoni libenter erranti fucum factum esse. Paulus certe vaticinatur, Antichristi adventum fore cum omni falsorum prodigiorum, portentorum et miraculorum genere *II. Thess. II-9.* Quis quaeso sibi persuadeat, Deum impostoribus ad homines fallendos in rebus tam arduis et ad salutem aeternam spectantibus facultatem concessisse, vera miracula edendi. Quomodo Christus *Joh. V. v. 36. Cap. X-25. Cap. XV-24.* ad miracula sua provocare, eaque ipsa discipulis Johannis, in fide vacillantibus, in memoriam revocare potuisset *Matth. XI-2.* *ff. nisi inter Dei et spirituum malorum miracula discrimen intercederet?* qua fronte scripsisset Paulus: *ne eloqui quidem ausim, quam nihil non (ad efficiendum, ut gentes obedirent,) effecerit per me Christus tum verbis, tum re, tanta prodigiorum ac miraculorum, tanta divini Spiritus vi, ut ab Hierosolyma per circuitum usque ad Illyricum omnia Christi evangelio repleverim. Rom. XV-18, 19.* Quomodo Deus in V. T. tanquam characterem Messiae constituere potuisset miracula, nisi maxima hic daretur differentia. Homines semper haerent, titubarent, fluctuarent. Muhammedes quidem non ad
miracula

miracula, quorum dono se instructum esse negat, sed ad victorias potius caecamque fidem in Corano passim se refert, egregia scilicet revelationis suae praesidia, Conf. *Viri Cl. Joachimi Augusti Carstedii, exercitatio theologica de θαυμαστικά, tanquam verae revelationis charactere* p. 22. Summe Venerandus Mosheimus lib. I. *cogitationum in N. T. locos selectiores* p. 38. intrepide asserit, quod nulla dari queant miraculis vel efficaciora vel evidentiora argumenta. Neque hic praetereundus est *Gottfriedi Olearii Iesus der wahre Messias* P. I. Cap. I. p. 21. ff.

§. III. Alterum argumentum primarium, quo literarum sacrarum inspiratio divina probatur, suppeditant *vaticinia rerum futurarum contingentium*, quae ex Dei tantum et hominum voluntate libera pendent, eorumque complementum. Ad solum enim Deum vaticinandi potentiam pertinere, ex rationis quoque lumine nobis innotescit. *Jamblichus* sane, Philosophus non gregarius, praedictionem rerum futurarum vocat *θεῖον καὶ ὑπερφύεσ ἀνωθεν τι ἀπὸ τῆς ἐρανῆ καταπεμπόμενον* de mysteriis Sect. III. Cap. VII. et VIII. In S. S. indicium illud intrepido animo aliquoties allegant Christus et Apostoli. *Esaias* his verbis Deos fictos alloquitur: *ventura eloquimini nobis, significate futura posthac, et Deos esse vos intelligemus*, Cap. XLI - 23. Conf. Cap. XLIV - 7. XLVIII - 3. ff. Quis quaeso sibi persuadeat, iis a Deo potestatem futura contingentia praedicendi concessam esse, qui ad decipiendos homines mendacia afferant. Astronomus praeviis causis naturalibus solis et lunae deliquium praenuntiat. Unde autem Prophetae praescire potuerunt, Messiam Bethlehemini, ex tribu Juda, a virgine nasciturum esse, populum Judaicum auctore Cyro, cuius nomen praedicatur *Es. XLV - 1*. libertati restitutum iri, nisi Deus illis patefecisset. Divinavit Christus de regni Judaici destructione